I

uincendi causa. quod pertinet ad eas causas de quibus iudici
um futurum est. Alterum genus est narrationis. quod
incurrit nonnumquam fidei aut criminationis. aut transi
tionis. aut alicuius apparationis causa. Tercium genus
est. id quod a causa ciuili remotum est. in quo tamen ex
erceri conuenit. quo commodius illas superiores narra
tiones in causis tractare possimus. Eius narrationis.
duo sunt genera. unum quod in negotiis. alterum quod in
personis positum est. Id quod in negotiorum expositione posi
tum est. tres habet partes. fabulam. historiam. argumentum.
Fabula est que neque ueras neque uerisimiles continet res. ut
ea sunt que tragedi is tradite sunt. historia est gesta
res sed ab etatis nostre memoria remota. Argumentum est
ficta res. que tamen fieri potuit uelut argumenta
~~tragediarum~~ comediarum. Illud genus narrationis quod in personis
positum est debet habere sermonis festiuitatem. animorum
dissimilitudinem. grauitatem. lenitatem. spem. metum. ~~prudentiam~~.
suspitionem. desiderium. dissimulationem. mise
ricordiam. Rerum uarietates. fortune commutationes.
insperatum incommodum. Subitam leticiam. Iocundum exitum
rerum; Verum hec in exercendo transigentur (uel adimplebuntur). Illud
quod ad ueritatem pertinet quomodo tractari conueniat
aperiemus. Tres res conuenit habere narrationem. ut breuis.
ut dilucida. ut uerisimilis sit. Que quoniam fieri oportere
scimus. quemadmodum faciamus. cognoscendum est. *Breuis narratio*
Rem breuiter narrare poterimus si inde cepimus narrare.
unde necesse erit. et si non ab ultimo initio repetere uole
mus. et si summatim non particulatim narrabimus. et si
non ad extremum sed usque eo quo opus erit persequemur.
et si transitionibus nullis utemur. et si non deerrabimus
ab eo quod cepimus exponere. et si exitus rerum ita po
nemus ut ante quoque que facta sunt sciri possint. tametsi nos
reticuerimus. quod genus est. si dicam me ex prouincia redisse
profectum quoque in prouinciam intellegatur. et omnino non
modo id quod obest. sed etiam id quod neque obest neque adiu
uat. satius est preterire. Et ne bis idem aut sepius dicamus.
cauendum est. etiam ne id quod semel diximus. deinceps
dicamus. hoc modo. Athenis megară uespi aduenit simo.
Vbi aduenit megară. insidias fecit uirgini. insidias post
quam fec̄. uim in loco attulit. *Dilucida narratio*